

PONTIFICIUM CONSILIU  
M DE LEGUM TEXTIBUS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXXI - N. 2

---

1999

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSLIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1999

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Ex Allocutione ad Lusitaniae Episcopos Sacra Limina visitantes . . . . .	171
Allocutio ad quosdam Germaniae Episcopos Limina Apostolorum visitantes . . . . .	174

## ACTA CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE . . . . .	182
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS . . . . .	184
ORATIO EXC.MI PRAESIDIS in coetu speciali Synodi Episcoporum Europae . . . . .	186

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio VII) . . . . .	189
Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio VIII) . . . . .	241
Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio IX) . . . . .	285
NOTITIAE . . . . .	352
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA . . . . .	355

# Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

## COETUS STUDIORUM «DE SACRAMENTIS»

Sessio VII  
(dd. 3-7 maii 1971 habita)

Diebus 3-7 maii 1971, in aulam Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Sacramentis (solo excepto sacramento matrimonii). Convenerunt in aulam inde ab hora 9,30 a die 3 maii 1971: Exc.mi DD. Charue et Matulaitis-Labukas; Ill.mi ac Rev.mi Sessolo, Medina, Carbone, M'Bunga; Rev.mi P.P. Bertrams, Semmelroth, Abellan et Rev.mus D.nus Villelmus Onclin, Commissionis Secretarius adiunctus, qui munere praesidis functus est, atque Rev.dus D. Paponi, adiutor a studiis.

Non adfuerunt Exc.mi Schneider, Oldani, Vaivods, Kurteff et Rev.mus Rybczyk, legitime impediti.

Quaestio proposita in hac sessione tractanda erat: recognitio canonum de «stipendiis missarum» (cann. 824-844) et «de custodia et cultu Sanctissimae Eucharistiae» (cann. 1260-1276).

Vota de quaestionibus propositis paraverunt Exc.mi Schneider, Matulaitis-Labukas, Charue, Vaivods; Rev.mi Sessolo, Medina, Bertrams, Rybczyk, Semmelroth et Abellan.

Antequam tractatur de recognoscenda legislatione «de stipendiis Missarum» et «de custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae», habetur disceptatio de schemate canonum de sanctissima Eucharistia a Secretario ad. parato.

## DISCEPTATIO DE SCHEME CANONUM DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

Textus a Rev.mo Secretario ad. paratus hic est:

### I. SCHEMA ALICUIUS CANONIS GENERALIS

*Can. ... (CIC 731, § 2)*

§ 1. Salvis huius canonis §§ 2, 3 et 4, ministri catholici sacramenta licite administrant solis christifidelibus catholicis, atque iidem christifideles eadem a solis ministris catholicis licite recipiunt.

§ 2. Quoties necessitas id postulet aut vera spiritualis utilitas id suadeat, licet christifidelibus catholicis quibus physice aut moraliter impossibile est accedere ad ministrum catholicum, sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum recipere a ministris non catholicis, in quorum Ecclesia aut communitate ecclesiali valida habentur sacramenta.

§ 3. Ministri catholici licite sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum administrant christifidelibus orientalibus plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui sponte id petant et rite sint dispositi.

§ 4. Si adsit periculum mortis aut urgeat necessitas, persecutionis aut in carcere inclusionis ratione, aliave, de iudicio Episcoporum conferentiae aut loci Ordinarii, gravis necessitas, ministri catholici licite eadem sacramenta administrant ceteris quoque christianis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui ad propriae communionis ministrum accedere non valent atque sponte id petant, dummodo tamen fidem quoad eadem sacramenta consentaneam fidei Ecclesiae catholicae manifestent et rite sint dispositi (*Decr. Orientalium Ecclesiarum*, n. 27; *Directoriū de re oecumenica*, nn. 42-47, 55).

### II. SCHEMA CANONUM DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

*Can. I (CIC 801)*

Eucharistica celebratio, in qua ipsem Christus Dominus offertur et sumitur, est ipsius Ecclesiae actio, cui in persona Christi praesidet sacerdos,

minister huius sacramenti proprius, et ad quam ceteri qui intersunt christifideles, suo quique modo pro ordinum et munerum diversitate participando, concurrunt.

### Caput I

#### DE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE MINISTRO

##### *Can. 2 (CIC 802)*

§ 1. Minister aptus qui in persona Christi celebrationi Eucharistiae praesideat et Sacrificium eucharisticum conficiat, est solus sacerdos valide ordinatus.

§ 2. Licate Eucharistiam celebrat sacerdos poena canonica non impeditus, servatis praescriptis canonum qui sequuntur.

##### *Can. 3 (CIC 803)*

§ 1. Nisi utilitas christifidelium aliud suadeat, licet sacerdotibus concelebrare Eucharistiam quoties Sacrificium eucharisticum confecturi coadunati sint.

§ 2. Integrum est sacerdotibus ut singuli Eucharistiam celebrent, non vero eo tempore quo in eadem ecclesia habetur.

##### *Can. 4 (CIC 804)*

§ 1. Sacerdos ignotus rectori ecclesiae in qua celebrare exoptat, ad celebrandum admittatur, dummodo aut litteras commendatitias sui Ordinarii exhibeat, aut alio modo ipsi rectori de eius probitate constet.

§ 2. Integrum est Ordinario loci hac de re normas magis determinatas edere, ab omnibus sacerdotibus servandas, etiam a sodalibus Instituti exempti, nisi agatur de iisdem admittendis ad celebrandum in ecclesiis proprii Instituti.

##### *Can. 5 (CIC 805)*

Omnes sacerdotes Sacrificium eucharisticum frequenter celebrent, in specie si christifidelium bonum id suadeat; enixe ipsis commendatur ut Sa-

crificium Eucharisticum, quod quidem semper est actus Christi et Ecclesiae quo munus suum sacerdotale praecipuum adimplent, cotidie celebrent (cf. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 13).

*Can. 6* (CIC 806)

§ 1. Exceptis diebus quibus ad normam legum liturgicarum licitum sit pluries eodem die Eucharistiam celebrare aut concelebrare, non licet sacerdoti plus semel celebrare, nisi ipso iure aut apostolico indulto id permittatur.

§ 2. Si penuria habeatur sacerdotum, sacerdotes, iusta causa id suadente, licite bis in die, immo, vera necessitate pastorali id postulante, ter in diebus dominicis et festis de praecepto, celebrant.

*Can. 7* (CIC 813)

Sacerdos, extra casum necessitatis, Eucharistiam ne celebret sine ministro.

*Can. 8* (novus)

Sacerdotibus catholicis non licet una cum ministris Ecclesiarum communitatumve ecclesialium plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentium Eucharistiam concelebrare.

*Can. 9* (CIC 809)

Integrum est sacerdoti Missam applicare pro quibusvis, tum vivis tum defunctis.

*Can. 10* (CIC 845)

§ 1. Minister ordinarius sacrae communionis est sacerdos et diaconus.

§ 2. Extraordinarius sacrae communionis minister est christifidelis laicus, iuxta praescripta Episcoporum conferentiae.

*Can. 11* (CIC 848-850)

§ 1. Salvis canonibus 397, n. 3 et 514, §§ 1-3, parocho loci officium est et ius sanctissimam Eucharistiam per modum Viatici ad infirmos in sua paroecia deferendi.

§ 2. In casu necessitatis id facere possunt ceteri sacerdotes, iisque deficienibus alii sacrae communionis ministri, de licentia saltem praesumpta parochi.

*Can. 12 (CIC 852)*

§ 1. Sanctissimae Eucharistiae sacramentum conferatur sub sola specie panis aut sub utraque specie ad normam legum liturgicarum.

§ 2. In casu necessitatis, licet sanctissimae Eucharistiae sacramentum sub sola specie vini ministrare.

Caput II

DE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE SUBIECTO

*Can. 13 (CIC 853)*

Quilibet baptizatus qui iure non prohibetur, admitti potest et debet ad sacram communionem.

*Can. 14 (CIC 854)*

§ 1. Sanctissima Eucharistia ne ministretur pueris qui sufficientem huius sacramenti cognitionem non habent.

§ 2. Ut sanctissima Eucharistia ministrari possit pueris in periculo mortis versantibus, sufficit ut habiles sint qui Corpus Christi a communi cibo discernant atque reverenter suscipient.

§ 3. Ut sanctissima Eucharistia ministrari possit pueris extra periculum mortis, requiritur ut pleniore cognitione atque accuratiore praeparatione gaudeant, ita ut fidei mysteria ad salutem necessaria pro suo captu percipient atque ad hoc sacramentum devote pro sua aetatis condicione accedere valeant; parentum imprimis atque eorum qui eorundem locum tenent est curare ut pueri ita debite ad sanctissimam Eucharistiam recipiendam praeparentur.

§ 4. Parocho est officium advigilandi, etiam per examen, si opportuno id iudicaverit, ne pueri ad sacram Synaxim accedant, si rationis usum adepti non sint aut sufficienter non sint dispositi; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur.

*Can. 15 (CIC 855)*

Ad sanctissimae Eucharistiae celebrationem aut communionem ne admittantur qui graviter deliquerunt et in contumacia perseverant.

*Can. 16 (CIC 856)*

Qui, minister aut christifidelis, conscient sibi est peccati mortalis, Corpori Domini ne communicet priusquam ad sacramentum Poenitentiae accesserit, nisi adsit gravis ratio et praesto non sit confessarius; quo casu actu perfectae contritionis prius eliciat.

*Can. 17 (CIC 858)*

Qui sanctissimam Eucharistiam receperit, non potest eam iterum eadem die suscipere extra eucharisticam celebrationem nec in ipsa, nisi tamen particeps sit celebrationis eucharisticae cum quadam sollemnitate perfectae aut conventionalis.

*Can. 18 (CIC 858)*

§ 1. Sanctissimam Eucharistiam celebraturus aut recepturus, per spatium unius horae ante sacram communionem abstineat a quocumque cibo et potu, excepta tantummodo aqua naturali, firmis tamen praescriptis §§ 2 et 3.

§ 2. Qui eadem die bis aut ter sanctissimam Eucharistiam celebrat, aliquid per modum potus non alcoholici aut cibi sumere potest ante alteram vel tertiam celebrationem, etiam si non intercedat spatium unius horae.

§ 3. Qui infirmitate quadam laborat sanctissimam Eucharistiam recipere potest, etiam si intra horam antecedentem aliud per modum medicinae aut potus non alcoholici sumpserit.

*Can 19 (CIC 859)*

§ 1. Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, id est ad rationis usum, pervenerit, obligatione tenetur semel saltem in anno, et quidem tempore paschali, sanctissimae Eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte, de consilio proprii pastoris, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione abstinentem duxerit.

§ 2. Paschalis communio fiat a dominica VIa. Quadragesimae, quae est Palmarum, usque ad festum Pentecostes; locorum Ordinariis autem fas est, si id personarum ac locorum adjuncta suadeant, hoc tempus etiam pro omnibus suis christifidelibus anticipare aut prorogare.

§ 3. Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis ex causa, non adimpleverit.

*Can. 20 (CIC 863)*

Animarum pastores christifideles suae curae commissos edoceant ex frequenti, immo vel cotidiana, Eucharistiae celebrationis participatione et Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri vitaeque spiritualis incrementum maxime foveri, eosque ad hunc usum salutarem cohortentur (cf. *Instructio Eucharisticum mysterium*, n. 37).

*Can. 21 (CIC 864)*

§ 1. Christifideles qui in periculo mortis versantur, quavis ex causa procedat, sacrae communionis recipienda preecepto tenentur.

§ 2. Etiamsi eadem die sacra communione refecti fuerint, valde tamen suadetur ut qui in vitae discrimen adducti sint denuo communicent.

§ 3. Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum plures, distinctis diebus, administrare licet et convenit.

*Can. 22 (CIC 865)*

Sanctum Viaticum infirmis ne nimium differatur; et qui animarum curam gerunt sedulo advigilent ut eodem infirmi plene sui compotes reficiantur.

*Can. 23 (CIC 866)*

Christifideles sanctissimae Eucharistiae sacramentum in quolibet ritu suscipere possunt.

Caput III

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS EUCHARISTICAES CELEBRATIONIS

*Can. 24 (CIC 814-815)*

§ 1. Sacrosanctum eucharisticum Sacrificium offerri debet ex pane et vino, cui modissima aqua miscenda est.

§ 2. Panis debet esse mere triticeus et recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis.

§ 3. Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum.

*Can. 25 (CIC 816)*

§ 1. In eucharistica celebratione sacerdos, secundum proprium ritum, adhibeat panem azymum aut fermentatum, ubicunque litet.

§ 2. In concelebratione eucharistici Sacrificii, sacerdotes ritum sequuntur proprium sacerdoti celebranti principali.

*Can. 26 (CIC 851)*

§ 1. Quilibet minister sacram communionem distribuat pane azymo aut fermentato, secundum proprium ritum.

§ 2. Ubi vero necessitas urgeat nec minister diversi ritus praesto sit, licet ministro orientali qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servare debet.

*Can. 27 (CIC 817)*

Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque extra eucharisticam celebrationem, consecrare.

*Can. 28 (CIC 818)*

§ 1. Supremae Ecclesiae auctoritatis atque Episcoporum conferentiarum et Episcoporum tantummodo cum sit sacram moderari liturgiam, nemini, ne sacerdoti quidem, licet quidpiam proprio marte in ritualibus precibus et caeremoniis addere, demere aut mutare (cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 22).

§ 2. Inter celebrationis Eucharistiae formas liturgicas iure probatas, eam sacerdos in singulis casibus eligat quae fidelium necessitati utilitatively eorumque participationi magis consulat.

*Can. 29 (CIC 819)*

Eucharistica celebratio peragatur linguis liturgicis iure probatis.

*Can. 30 (CIC 811)*

Sacerdos in Eucharistia celebranda vestem deferat convenientem nec non sacra ornamenta a rubricis sui ritus praescripta.

*Can. 31* (novus)

§ 1. Sacerdos infirmus aut aetate provectus, si stare nequeat, Sacrificium eucharisticum celebrare potest sedens, servatis quidem legibus liturgicis, non tamen coram populo, nisi de licentia Ordinarii.

§ 2. Sacerdos coecus aliave infirmitate laborans licite eucharisticum Sacrificium celebrat, adhibendo textum cuiuslibet ex probatis Missae, adstante etiam, si casus ferat, alio sacerdote vel diacono aut laico rite instruto, qui eundem adiuvet.

*Can. 32* (novus)

Si extra celebrationem eucharisticam distribuatur communio, serventur ritus praescripti, praemissa quoque, si res ferat, brevi verbi Dei celebratione.

#### Caput IV

#### DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS EUCHARISTICAE

*Can. 33* (CIC 820, 847)

§ 1. Celebratio eucharistica fieri potest quocumque die et quacumque hora, exceptis quidem diebus quibus secundum proprium sacerdotis ritum haberi non potest.

§ 2. Licet commendetur ut christifideles Corpus Domini sumant in participanda eucharistica celebratione, communio distribui et recipi potest quocumque tempore quo eucharisticum Sacrificium celebrari potest.

*Can. 34* (CIC 822)

§ 1. Eucharisticum Sacrificium celebrandum est in loco sacro, super altare consecratum aut benedictum.

§ 2. Loci Ordinarius, aut si agatur de domo Instituti perfectionis exempti Superior maior, concedere potest iusta de causa, per modum actus, graviore vero de causa, ut etiam habitualiter, sacerdotes Eucharistiam celebrent extra locum sacrum, in loco tamen decenti et decoro, non autem, nisi adsit vera necessitas, in cubiculo, atque adhibitis semper tobalea et corporali.

§ 3. Ut Eucharistiam in mari aut fluminibus celebrent, sacerdotes licentia eagent sive Ordinarii sui proprii, sive Ordinarii loci in quo navim

concedunt, sive Ordinarii loci cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt; qui Ordinarii iusta de causa licentiam concedere valent, dummodo debitae adhibeantur cautelae.

*Can. 35 (CIC 869)*

§ 1. Sacra communio ministrari potest ubicumque Sacrificium eucharisticum celebrari licet, servatis quidem praescriptis ab Ordinario statutis.

§ 2. Si sanctissima Eucharistia ad infirmos deferatur, etiam eisdem adstantibus ministrari potest.

*Can. 36 (CIC 823)*

§ 1. Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio in altari alterius ritus catholici Eucharistiam celebrare.

§ 2. Iusta de causa, licet sacerdoti Eucharistiam celebrare in templo alicuius Ecclesiae orientalis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentis.

§ 3. Ut sacerdos Eucharistiam celebrare possit in templis aliarum Ecclesiarum communitatumve ecclesialium cum Ecclesia catholica plenam communionem non habentium, licentia eget loci Ordinarii, qui eandem iusta tantum de causa concedere potest.

### III. DISCEPTATIO DE CANONE GENERALI

Rev.mus primus Consultor proponit ut in par. 2 adiungatur in ultima linea, post «habentur» verbum «praedicta».

Ipse primus Consultor proponit ut in par. 2 mentio fiat de conditione de qua in directorio, scilicet «si christifideles orientales ad proprium ministrum adire non possunt».

Animadvertis Rev.mus secundus Consultor quod illa conditio non ponitur in textu Concilii, ubi nulla alia datur conditio uti appareat in Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 27:

«Positis memoratis principiis, Orientalibus, qui bona fide seiuncti inveniuntur ab Ecclesia catholica, si sponte petant et rite sint dispositi, sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum conferri pos-

sunt; imo, etiam catholicis eadem sacramenta licet petere ab iis ministris acatholicis, in quorum Ecclesia habentur valida sacramenta quotiescumque id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat, et accessus ad sacerdotem catholicum physice vel moraliter impossibilis evadat».

Idem Rev.mus secundus Consultor suggerit ut in par. 2 sermo fiat de Ecclesia tantum et supprimantur verba de communitate ecclesiali.

Exc.mus tertius Consultor praefert ut verba «communitate ecclesiali» non supprimantur, quia fideles possunt rogare baptismum etiam si non credunt in sacramentum Eucharistiae.

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit in n. 27 Decr. *Orientalium Ecclesiarum* sermonem non fieri de communitate ecclesiali, sed dici tantum: «in quorum Ecclesia habentur valida sacramenta».

Concordant omnes ut can. generalis par. 1, 3, 4 maneant uti sunt et in par. 2 adiungatur, in ultima linea, verbum «praedicta» post «habentur», atque supprimantur verba «aut communitate ecclesiali».

#### IV. DISCEPTATIO DE SCHEME CANONUM DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

##### *Can. 1 (CIC 801)*

Rev.mus secundus Consultor petit utrum pronomen «ipsius» ante «Ecclesiae» sit necessarium necne.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod illud pronomen magis sublineat valorem Ecclesiae.

Rev.mus primus Consultor censet quod verba «munerum diversitate» non sufficiunt; agitur enim de munib[us] quoad sanctissimam Eucharistiam.

Respondet Rev.mus quartus Consultor quod illa est assertio generalis et semper accepta fuit.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur tantum: «suo quisque modo participando concurrunt».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur: «pro ordinum diversitate», quia sacerdos non debet assistere modo laicorum eucharisticae celebrationi.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur «munerum liturgico-rum diversitate».

Placet haec additio.

Animadvertisit Exc.mus tertius Consultor christifideles sive clericos sive laicos esse.

Placet ut addantur verba: «...christifideles, sive clerici sive laici».

Textus canonis 1 placet omnibus, cum additionibus probatis.

### Caput I

#### DE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE MINISTRO

##### *Can. 2 (CIC 802)*

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur «praesidens» loco «praesideat» ita ut textus sonet: «... qui in persona Christi... praesidens sacrificium Eucharisticum conficiat».

Respondeat Exc.mus tertius Consultor quod qui praesidet est unus et solus Episcopus, omnes alii sunt concelebrantes.

Animadvertisunt Rev.mi Secretarius ad. et primus Consultor quod hodie multi dicunt quod etiam laici possunt praesidere.

Exc.mus tertius Consultor praefert «praesideat» loco «praesidens», quia non conficit Eucharistiam qui praesidet, sed qui in persona Christi agit.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum:

«Minister aptus qui in persona Christi Sacrificium eucharisticum conficiens, celebrationi Eucharistiae praesideat, est solus sacerdos valide ordinatus».

Placet omnibus.

Par. 2 placet omnibus uti est.

##### *Can. 3 (CIC 803)*

*Ad par. 1:* Rev.mus quartus Consultor proponit ut supprimatur ultima linea, scilicet: «quoties sacrificium... coadunati sint».

Placet propositio.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur: «aliud requirat aut suadeat» et verbum «concelebrare» in fine textus ponatur.

Placet omnibus: itaque textus erit:

«Nisi utilitas christifidelium aliud requirat aut suadeat, licet sacerdotibus Eucharistiam concelebrare».

*Ad par. 2:* Rev.mus Secretarius ad. quaerit num dici debeat « non feria V maioris hebdomadae ».

Consentiant omnes ne illa verba adiungantur.

Itaque textus par. 2 placet omnibus uti est.

*Can. 4 (CIC 804)*

*Ad par. 1:* Rev.mus Secretarius ad. censemt ultima verba « alio modo ipsi rectori de cuius probitate constet » nimis stricta forsitan videri.

Respondet Rev.mi septimus Consultor et quartus Consultor quod verba « alio modo » minuant vim strictam verbi « constare » et ideo textus potest manere uti est.

Exc.mus tertius Consultor proponit ut dicatur « satis constet ». Placet omnibus.

*Ad par. 2:* Rev.mus secundus Consultor declarat quod pro omnibus religiosis exceptio fieri posset.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod etiam CIC hoc facit pro exceptis.

Textus par. 2 placet omnibus uti est.

*Can. 5 (CIC 805)*

Rev.mus sextus Consultor proponit ut verbum « semper » omittatur.

Placet omnibus ut textus maneat uti est.

*Can. 6 (CIC 806)*

*Ad par. 1:* Rev.mus secundus Consultor proponit ut omittantur verba « aut apostolico indulto ».

Placet omnibus textus uti est.

Proponente Rev.mo Secretario ad. additur verbum « ...plus semel *in die...* ».

Textus par. 2 placet omnibus uti est.

*Can. 7 (CIC 813)*

Rev.mus primus Consultor censemt formulam « extra casum necessitatis » esse nimis strictam.

Respondet Rev.mus secundus Consultor quod in casu « necessitas » est lato sensu accipienda.

Textus placet uti est.

*Can. 8 (novus)*

Censet Rev.mus quartus Consultor verbum «catholicis» supprimi posse, quia Codex dat normas pro catholicis tantum.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod secus hoc valere potest etiam pro sacerdotibus orthodoxis.

Fit suffragatio utrum supprimi debeat verbum «catholicis» necne. Omnes Consultores, exceptis Rev.mis quinto et secundo praferunt ut verbum maneat in textu.

Itaque textus manet uti est.

*Can. 9 (CIC 809)*

Textus placet omnibus uti iacet.

*Can. 10 (CIC 845)*

*Ad par. 1:* Rev.mus Secretarius ad. ponit quaestionem de acolita an ponendus sit ut minister ordinarius post diaconum. Ipse se refert ad instructionem S. Congregationis pro Cultu Divino, *Liturgicae Instauraciones* (5 sept. 1970, *AAS* 62 [1970] n. 6, c).

Manet textus uti est.

*Ad par. 2:* Rev.mus sextus Consultor animadvertisit hic agi de munere quod de se spectat ad Ordines sacros, et quod tantummodo in casu necessitatis a laicis exerceri potest.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum: «Extraordinarius sacrae communionis minister est alius christifidelis, sive clericus sive etiam laicus, in casibus in quibus necessitas pastoralis id requirat, servatis loci Ordinarii praescriptis».

Textus a Rev.mo Secretarius ad. propositus placet omnibus.

*Can. 11 (CIC 848-850)*

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 12 (CIC 852)*

Textus placet omnibus uti est, sed Consultores omnes praferunt ut canon ponatur ubi de ritibus et caeremoniis agitur, scilicet post canonem 24.

Caput II  
DE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE SUBJECTO

*Can. 13* (CIC 853)

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 14* (CIC 854)

Servatur textus par. 1.

In par. 2 ita mutatur forma: «sufficit ut Corpus Christi a communi cibo discernant atque reverenter recipere possint». Agitur enim de actualiter discernendo.

*Can. 15* (CIC 855)

Textus placet omnibus uti est.

Supprimuntur tamen in par. 3 verba «etiam per examen, si id opportunitum iudicaverit».

*Can. 16* (CIC 856)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut loco «praesto non sit confessarius» dicatur «nisi... deficiat opportunitas ad confessarium accedendi».

Rev.mi Consultores sextus et primus praferunt verbum «confitendi» loco «accedendi» ad confessarium.

Rev.mus secundus Consultor e contra, praefert sequentem formulam: «nisi... et deficiat opportunitas absolutionem recipiendi», quia hic quaestio est de absolutione. Ipse notat tamen quod si fidelis opportunitatem habet absolutionem generalem recipiendi, debet eam recipere.

Respondet Rev.mus primus Consultor quod ille cui deficit opportunitas confitendi, non est obligatus ad absolutionem generalem recipiendam.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur «se teneri ad actum contritionis eliciendum» loco «actum perfectae contritionis prius eliciat».

Rev.mus sextus Consultor animadvertisit non posse imponi iuridice ut quis actum perfectae contritionis prius eliciat, etiam si hoc facere debeat; itaque proponit ut dicatur in textu: «...quo in casu meminerit actum contritionis perfectae prius esse eliciendum».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut omittantur verba «minister aut christifidelis».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur: «Qui conscius sibi est peccati *gravis*...».

Omnibus perpensis, Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum:

«Qui, conscient sibi est peccati gravis, ne celebret neve Corpori Domini communicet priusquam ad sacramentum poenitentiae accesserit, nisi adsit gravis ratio et deficiat opportunitas confitendi; quo in casu meminerit se obligatione teneri actus perfectae contritionis prius eliciendi».

Textus placet omnibus.

*Can. 17(CIC 857)*

Rev.mus secundus Consultor proponit ut supprimatur verbum «tamen» et omittatur mentio de Missa conventuali, quia etiam haec cum aliqua sollemnitate celebrari dici potest.

Exc.mus tertius Consultor proponit ut loco «conventualis» dicatur «in Missa communitaria cum aliqua sollemnitate celebrata».

Rev.mus Secretarius ad. declarat quod sufficit dicere «cum sollemnitate peractae», omissis verbis «aut conventualis».

Rev.mus quartus Consultor affirmat quod soror, quae in quadam Missa sacra communionem accepit, post vero unam horam assistens Missae conventuali iterum communionem recipere potest.

Declarat Rev.mus secundus Consultor quod si hoc admittitur pro religiosis, cur admitti non debeat etiam pro laicis.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut verba «aut conventualis» supprimantur, sed in actis dicatur quod Missa conventualis intelligitur quadam sollemnitate peracta.

Rev.mus quintus Consultor ponit quaestionem de feria V in Coena Domini.

Respondet Rev.mus sextus Consultor quod formula «cum quadam sollemnitate peracta» comprehendit etiam diem V Maioris Hebdomadae.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut initio canonis dicatur: «salvis legibus liturgicis».

Rev.mus quintus Consultor censet nihil addendum esse, quia in feria V Missa Chrismatis cum quadam sollemnitate peragitur.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut addatur in canone formula «excepto canone 865 par. 2».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur, post verba «extra Eucharisticam celebrationem», «firmo praescripto can. 864 par. 2».

Rev.mus sextus Consultor declarat quod ille casus est omnino specialis, itaque non debet addi.

Textus canonis placet omnibus uti est, suppressis verbis «aut conventualis».

*Can. 18 (CIC 858)*

*Ad par. 1:* Rev.mus sextus Consultor proponit ut ultima verba, scilicet «firmis tamen...», omittantur.

Propositio omnibus placet.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut omittatur verbum «celebratus».

Etiam haec propositio omnibus placet.

*Ad par. 2:* Rev.mus primus Consultor declarat quod par. 2 manere debet, quia est propter officium; ergo pro illis qui bis communionem recipiunt non valet.

Concordant omnes ut omittantur verba «per modum potus non alcoholici aut cibi».

*Ad par. 3:* Rev.mus sextus Consultor proponit ut omittantur verba «per modum potus non alcoholici», quia destrui debet mens quaedam causistica. Fideles debent instrui quod non omnia sunt licita quae non sunt prohibita; nam adest semper lex moralis de reverentia erga sacramenta.

Itaque ipse proponit ut dicatur tantum «aliquid sumpserint», deinde proponit ut initio addatur aliquid de significatione legis ratione reverentiae et poenitentiae.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut in alio canone sermo fiat de significatione normae, ita ut fideles instrui possunt.

Placet propositio omnibus.

Exc.mus tertius Consultor proponit ut dicatur «gravi» infirmitate.

Propositio aliis non placet.

Concordant omnes ut omittantur verba «per modum medicinae aut potus non alcoholici».

Itaque canon erit:

§ 1. Sanctissimam Eucharistiam recepturus per spatum unius horae ante sacram communionem abstineat a quocumque cibo et potu, excepta tantummodo aqua naturali.

§ 2. Sacerdos qui eadem die bis aut ter sanctissimam Eucharistiam celebrat, aliquid sumere potest ante alteram vel tertiam celebrationem, etiam si non intercedat spatum unius horae.

§ 3. Qui infirmitate quadam laborat sanctissimam Eucharistiam reciperere potest, etiam si intra horam antecedentem aliquid sumpserit.

*Can. 19 (CIC 859)*

*Ad par. 1:* Rev.mus Secretarius ad. proponit ut omittantur ultima verba « nisi forte ... ».

Placet propositio omnibus.

Rev.mus primus Consultor proponit ut supprimantur etiam verba « ad annos discretionis...».

Propositio non placet.

*Ad par. 2:* Rev.mus quintus Consultor proponit ut loco verborum « a dominica VI Quadragesimae, quae est Palmarum » dicatur « a dominica in Palmis ».

Propositio omnibus placet.

*Ad par. 3:* Rev.mus secundus Consultor censet melius esse sermonem facere de « communione annuali » potiusquam « paschali », et proponit ut loco « Praeceptum paschalis... » dicatur « Praeceptum de quo in parr. 1 et 2 ».

Omnes Consultores, excepto secundo, consentiunt ut par. 3 maneat uti est.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem, qui uti primus huius Capitis canon proponi posset:

« Christifideles maximo in onore sanctissimam Eucharistiam habeant, atque animarum pastores eos edoceant obligationem qua tenentur ut summa cum veneratione augustissimo huic sacramento debita Eucharistiam semper celebrent et recipient, utque hac etiam mente ducti ea quae sequuntur praescripta sedulo applicent ».

Rev.mus sextus Consultor suggestit ut loco « applicent » dicatur « obseruent ».

Propositio placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut post verbum « recipient » adiungantur verba « atque colant ».

Placet omnibus propositio.

Itaque textus placet cum suggestionibus Rev.morum Secretarii ad. et sexti Consultoris.

*Can. 20 (CIC 863)*

Iuxta Rev.mum secundum Consultorem canon potest transferri in canonem introductorium.

Rev.mus quintus Consultor praefert ut canon relinquatur hic, post canonem de pracepto paschali.

Placet omnibus ut canon maneat in hoc loco.

*Can. 21 (CIC 864)*

Textus canonis placet omnibus uti est.

*Can. 22 (CIC 865)*

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 23 (CIC 866)*

Textus placet omnibus uti est.

### Caput III

#### DE RITIBUS ET CAEREMONIIS EUCHARISTICAES CELEBRATIONIS

*Can. 24 (CIC 814-815)*

Rev.mus primus Consultor ad par. 1 declarat quod loco «offerri debet ex pane et vino» praefert aliam formulam; proponit ut dicatur tantum «pane et vino», in casu ablativo strumentali.

Propositio non placet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit formulam sequentem: «adhibitis pane et vino».

Etiam haec propositio non placet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit formulam sequenti modo emendatam: «Confici debet ex pane et vino».

Placet omnibus.

Placet par. 1 cum emendatione Rev.mi secundi Consultoris.

Par. 2 placet omnibus uti est.

*Can. 25 (CIC 816)*

*Ad par. 1:* Rev.mus secundus Consultor consentit cum textu proposito, sed animadvertisit in diem invalescere tendentiam adhibendi panem fermentatum, itaque forsitan ampliandam esse legem, quia ita uti est observatur. Admittit quod panis non fermentatus, a ritu latino adhibitus, est magis practicus, quia hostiae ex azymo factae magis durant et remanent moliores, dum, e contra, hostiae ex fermentato durissimae fiunt.

Rev.mus sextus Consultor petit quaenam sit ratio theologica huius normae.

Respondet Rev.mus primus Consultor quod erat ratio symbolica, quia

azymus est purus, sed vera ratio theologica non habetur, tamen certe in coena paschali Christus usus est azymo, quia coena paschalis fiebat cum azymo.

Rev.mus secundus Consultor facit sequentes animadversiones:

1) certo SS. Eucharistiam valida est sive in pane azymo sive in fermentato.

2) hodie datur tendentia ad conficiendam Eucharistiam in fermentato: est dubium utrum lex antiqua de azymo servetur in futurum necne.

Rev.mus primus Consultor notat quod Sacramentum debet relationem ad cibum uti sumitur habere.

Rev.mus sextus Consultor affirmit quod si lex condatur, urgeri debeat exsecutio; secus melius est non facere legem. Ipse declarat etiam quod secundum *Instit. Gen. Missalis Romani*, n. 282: «Panis ad Eucharistiam celebrandum triticeus et, iuxta perantiquum Ecclesiae latinae morem, azymus est».

Rev.mus secundus Consultor se refert ad Decr. *Dignitatis humanae*, n. 7, ubi dicitur: «Libertas debet quam maxime homini agnosci, nec restrin-genda est nisi quando et prout est necessarium».

Itaque ipse proponit suffragationem utrum relinqui debeat necne liber-tas pro pane azymo et fermentato.

Omnis Consultores, exceptis Rev.mis quarto et septimo, qui se absti-nent, consentiunt ut relinquatur libertas et rogant ut de hoc S. Congrega-tio pro Doctrina Fidei consulatur.

#### *Can. 26 (CIC 851)*

Rev.mus octavus Consultor petit quid faciendum de his normis ubi difficile est habere panem ex tritico et adest alius panis cui non est ex tritico, sed ex aliqua radice. (In Tanzania, ex. gr. panis ex tritico importari debet, maxima cum difficultate similiter et vinum.

Rev.mus sextus Consultor aestimat hanc quaestionem funditus exami-nandam esse: nam potest esse panis qui non est ex tritico sed in regione ali-qua vocatur et adhibetur ut panis.

Rev.mus quartus Consultor declarat quod signum sacramentale habetur in eo quod est alimentum fundamentale hominum. Hoc signum ex auctori-tate Ecclesiae potest mutare secundum tempora et potest esse varium secun-dum varias regiones sed intra limites institutionis a Christo factae.

Rev.mus secundus Consultor affirmit quod aliqui orthodoxi usi sunt aliquo vino ex fructibus, non ex uva saltem per 2 saecula (cfi P. Bouessé, *De sacramentis*).

Rev.mi Secretarius ad. et secundus Consultor petunt ut quaesitum proponatur de hac quaestione, scilicet utrum pro valida celebratione sufficiat ut adhibetur alimentum quod uti fundamentale ad instar panis communiter habetur in regione; idem valet pro vino.

Concordant omnes Consultores ut proponatur petitio S. Congregatio pro Doctrina Fidei quoad canones 25 et 26.

*Can. 27 (CIC 817)*

Textus canonis placet uti est.

*Can. 28 (CIC 818)*

*Ad par. 1:* Rev.mus Secretarius ad. proponit ut omittantur verba « ne sacerdoti quidem ».

Placet propositio.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut ante verba « Episcoporum conferentiae » dicatur « ad normam iuris ».

Placet etiam haec propositio.

*Ad par. 2:* Rev.mus Secretarius ad. proponit ut supprimatur verbum « iure ».

Placet propositio.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut supprimatur tota paragraphus, quia pertinet ad liturgiam.

Respondet Rev.mus primus Consultor quod servanda est paragraphus, quia indicat facultatem eligendi ex parte sacerdotis.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut sequenti modo textus emendetur in prima linea: « Inter probatas celebrationis Eucharistiae formulas liturgicas, eam... ».

Placet omnibus. Supprimitur quoque verbum « necessitati ».

*Can. 29 (CIC 819)*

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 30 (CIC 811)*

Textus placet uti est.

*Can. 31 (novus)*

Placet paragraphus 1 uti est.

*Ad par. 2:* Supprimi potest, secundam Rev.mum primum Consultorem, verbum «etiam».

Placet haec propositio.

Exc.mus tertius Consultor proponit ut ante verbum «laico» ponatur «etiam».

Placet propositio.

*Can. 32 (novus)*

Rev.mus secundus Consultor censem canonem supprimi posse, quia de hoc sermo fit in libris liturgicis et in Instructione S. Congregatio de Sacramentis *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, *AAS* 59 [1967], pp. 539-573.

Rev.mus Secretarius ad. aestimat non esse supervacaneum id dicere.

Concordant omnes ut textus maneat uti est.

Rev.mus Secretarius ad. ponit quaestionem de can. 12 et proponit ut transferatur post can. 24.

Propositio placet omnibus.

Caput IV

DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS EUCHARISTICAЕ

*Can. 33 (CIC 820, 847)*

Rev.mus primus Consultor proponit ut duplex paragraphus canonis contrahatur in unam paragraphum.

Rev.mus Secretarius ad. proponit canonem sequenti modo emendatum: «Eucharistiae celebratio et distributio fieri potest quacumque die et hora, iis quidem exceptis quae secundum liturgicas normas excluduntur; commendatur christifidelibus ut Corpus Domini sumant in ipsa eucharistica celebratione participanda».

Placet propositio.

*Can. 34 (CIC 822)*

*Ad par. 1:* Placet uti est.

*Ad par. 2:* Omnibus consentientibus dicendum est: «... concedere potest iusta de causa ut sacerdotes, etiam habitualiter, Eucharistiam celebrent...».

*Ad par. 3:* Rev.mus secundus Consultor declarat quod naves sunt extra iurisdictionem Ordinarii; itaque requiritur specialis permissio ut Eucharistia in mari aut fluminibus celebrari possit.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum:  
«Sacerdotes in navi etiam aerea itinerantes celebrare possunt, dummodo  
debitae adhibeantur cautelae».

Placet omnibus.

*Can. 35 (CIC 869)*

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit normam novam strictiorem  
esse Codice.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut par. 1 terminet post verbum  
«licet».

Placet propositio.

*Can. 36 (CIC 823)*

Paragraphi 1 et 2 placent omnibus uti sunt.

*Ad par. 3:* Rev.mus quartus Consultor proponit ut ultima verba «...qui  
eandem...» supprimantur.

Placet omnibus propositio.

DISCEPTATIO DE CUSTODIA ET CULTU  
SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE

*Quaestio de titulo*

Rev.mus secundus Consultor proponit sequentem titulum aliquantulum immutatum: «De asservatione specierum eucharisticarum necnon de cultu eisdem exhibendo».

Ratio est quia: «Verbum ‘Eucharistia’ magis innuit actionem liturgicam quae in Missa perficitur quam realitatem permanentem praesentiae Domini sub speciebus. Item verbum ‘cultus’ hic clarius refertur ad species asservatas ne obliviscatur primarium cultum eucharisticum in ipsa celebrazione inveniri».

Rev.mus quintus Consultor censet titulum a Rev.mo secundo Consultore propositum nimis longum esse at ipse proponit sequentem titulum: «De asservatione et veneratione sacrarum specierum».

Rev.mus quartus Consultor declarat quod de sacris speciebus iam ab anno 1949 habentur textus: Decretum agebat directe de profanatione sacrarum specierum (*Instructio Quam plurimum*, S. Congregatio de Sacra-

mentis, 1 oct. 1949, *AAS* 41 [1949] p. 509); talis vero modus loquendi non habetur in aliis documentis, scilicet:

- 1) Conc. Trid., Sess. 13, Cap. 6.
- 2) Instructio *Eucharisticum mysterium*, S. C. Rituum, 25 maii 1967, *AAS* 59 (1967), p. 567, n. 51. « ubi Sanctissima Eucharistia asservatur ».
- 3) Encyclica *Mysterium Fidei*. *AAS* 57 (1965), p. 771.
- 4) *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 276.

Rev.mus secundus Consultor declarat quod sub hoc capite 2 quaestiones considerantur, scilicet quaestio de asservatione et quaestio de cultu, difficultas est non in verbo « asservatio », sed in verbo « cultus ».

Rev.mus primus Consultor loco « species » praefert verbum « SS. Eucharistia », quia est secundum usum et traditionem; itaque proponit sequentem titulum « De sanctissima Eucharistia asservanda et veneranda ».

Omnes consentiunt de titulo a Rev.mo primo Consultore proposito.

Rev.mus secundus Consultor proponit canonem introductorium, qui non placet, quia non normam sed doctrinam continet.

#### *Can. 1265*

*Ad par. 1:* Rev.mus secundus Consultor proponit sequentem textum:

« Sanctissima Eucharistia (vel Species eucharisticae), dummodo adsit qui eius (eorum) curam habeat et pro posse sacerdos frequenter Missam in sacro loco celebret:

1º Regulariter custodiri debet in ecclesia cathedrali, in ecclesia principe Abbatiae vel Praelature, Vicariatus et Praefecturae Apostolicae, in qualibet ecclesia publica religiosorum sive virorum sive mulierum;

2º Custodiri etiam potest, de licentia Ordinarii loci, in qualibet alia ecclesia vel oratorio, quatenus pastorales rationes id suadeant et servatis de iure servandis ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut loco « frequenter » dicatur « saltem bis in mense ».

Placet omnibus.

*Ad n. 1:* Rev.mus quintus Consultor proponit ut supprimatur verbum « regulariter » et dicatur: « custodire debet in ecclesia cathedrali aut ipsi aequiparata... ». Placet.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut loco « publica » dicatur « annexa domui religiosorum ». Placet.

Itaque textus n. 1 erit:

«Custodiri debet in ecclesia cathedrali aut eidem aequiparata, in qualibet ecclesia paroeciali et in ecclesia adnexa domui religiosorum sive viorum sive mulierum».

*Ad n. 2:* Rev.mus quartus Consultor proponit sequentem textum:

«Custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in aliis ecclesiis et in oratoriis publicis et semi-publicis».

Placet textus sed proponunt omnes ut loco «custodiri» dicatur «asservari».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut n. 3 textum in voto scripto suggestum Rev.mi quarti Consultoris scilicet: «custodiri potest in oratorio domestico Episcopi etiam titularis tantum; non autem habitualiter in oratoriis privatis, nisi ex indulto apostolico». Ipse proponit «asservari» loco «custodiri».

Placet omnibus. Par. 2 tollitur iuxta supradicta. Par. 3 manet uti est.

#### *Can. 1266*

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum, iuxta vota Rev.morum Consultorum quarti et secundi.

«Omnes ecclesiae et oratoria publica, ubi SS. Eucharistia asservatur per aliquot saltem horas, pateant ut coram SS.mo Sacramento fideles orationi vacare valeant».

Placet omnibus.

#### *Can. 1267*

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum:

«In religiosa vel pia domo quae adnexam habeat ecclesiam vel oratorium publicum, in eodem tantummodo asservetur SS. Eucharistia; potest tamen, iusta de causa, loci Ordinarius permittere ut alio etiam in oratorio eiusdem domus asservetur».

Rev.mus quartus Consultor consentit de hac latiore concessione.

Rev.mus secundus Consultor aestimat, e contra, inculcandum esse principium unitatis in asservatione SS. Eucharistiae; secus multiplicantur oratoria in domibus.

Respondet Rev.mus quartus Consultor quod principium unitatis est pulchrum sed attendendum est ad principium practicum, quod cultum facilem reddit.

Rev.mus Secretarius ad. proponit quaesitum utrum requiri debeat permissione Ordinarii necne.

Consentiunt omnes ut permissio Ordinarii necessaria sit.

Petit Rev.mus Secretarius ad. utrum requiritur permissio Ordinarii loci an permissio Ordinarii simpliciter.

Consentiunt omnes, excepto Rev.mo secundo Consultore, requiri permissionem Ordinarii simpliciter.

Textus a Rev.mo Secretario ad. propositus sine verbo «loci» placet omnibus.

#### *Can. 1268*

Exc.mus tertius Consultor et Rev.mi Secretarius ad. et secundus Consultor petunt ut praescriptum canonis simpliciore forma enuntietur.

*Ad par. 1:* Rev.mus secundus Consultor proponit sequentem textum in ultima parte paragraphi: «in uno tantum ecclesiae vel oratorii tabernaculo»; loco «custodiri» dicatur «asservari». Placet omnibus.

*Ad par. 2:* Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum, iuxta vota Rev.morum Consultorum secundi, quinti et quarti:

«Locus ecclesiae vel oratorii in quo SS. Eucharistia asservatur sit vere praezellens, pre omnibus ornatus atque ad orationem aptus».

Placet omnibus.

*Ad par. 3:* Concordant omnes ut supprimatur.

*Ad par. 4 (quae fit par. 3):* Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem:

«Tabernaculum in quo SS. Eucharistia asservatur sit inamovibile et solide clausum, ita ut quam maxime periculum profanationis arceatur».

Placet omnibus.

Deinde Rev.mus Secretarius ad. proponit ut novam par. 4 textum sequentem:

«Tabernaculum in quo SS. Eucharistia asservatur sit in aliquo altari “...aut extra altare in parte ecclesiae pernibili et rite ornata...” (*Missale Rom.*, n. 276); vel “...aut extra altare in parte ecclesiae pernibili et conspicua”».

Placet omnibus cum secunda formula.

#### *Can. 1269*

Aliqui Consultores, una cum Rev.mo Secretario ad. proponunt ut ex par. 3 canonis 1269 novus canon fiat et ipse Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem:

« Gravi aliqua de causa licet, SS. Eucharistiam, nocturno praesertim tempore, alio in loco tuiore et decoro, super corporali tamen, asservare ».

Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ex par. 4 canonis 1269 fiat canon 1269 sequenti modo:

« Qui Ecclesiae vel oratorii curam habet, prospiciat ut clavis tabernaculi, in quo SS. Eucharistia asservatur, diligentissime custodiatur ».

Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum:

« Habeantur semper in tabernaculo et quidem in pyxide ex solida deco-  
raque materia coperculo clausa, hostiae consecratae numero necessitatibus  
christifidelium congruo ».

Placet omnibus.

Exc.mus tertius Consultor proponit ut mentio fiat de necessitate pro christifidelibus infirmis, sed alii omnes Consultores preferunt ut dicatur tantum: « numero necessitatibus christifidelium congruo ». Itaque textus placet omnibus uti supra.

#### Can. 1271

Rev.mus sextus Consultor proponit ut excludatur lampas sic dicta electrica.

Rev.mus quartus Consultor refert textum Instructionis de cultu mysterii eucharisticici (*Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, *AAS* 59, 1967, n. 57), ubi nihil dicitur de lampade sic dicta electrica; en textus: « lampas iuxta tabernaculum perenniter ardeat ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum:

« In signum honoris erga sanctissimam Eucharistiam coram tabernaculo, in quo SS. Eucharistia asservatur, peculiaris perenniter ardeat lampas, qua indicatur Christi praeSENTIA ».

Placet omnibus, excepto Rev.mo sexto Consultore, qui se abstinet.

#### Can. 1272

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem secundum votum Rev.mi quarti Consultoris.

« Hostiae consecratae recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis ».

Placet omnibus.

*Can. 1273*

Concordant omnes ut canon hic supprimatur.

*Can. 1274*

*Ad par. 1 et 2:* proponuntur sequentes textus, iuxta vota Rev.morum Consultorum quinti et quarti:

§ 1. In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam, fieri possunt breves expositiones sive cum pyxide sive cum ostensorio, servatis praescriptis legum liturgicarum; curet loci Ordinarius ut huiusmodi expositiones sanctissimi Sacramenti debita cum reverentia fiant.

§ 2. Quotannis fieri potest sollemnis sanctissimi Sacramenti expositio per congruum tempus protracta, etsi non stricte continua, ut communitas localis hoc mysterium impensius meditetur et adoret; huismodi tamen expositio fiat tantum si congruus praevideatur fidelium concursus, de consensu Ordinarii loci et iuxta normas statutas.

Placet omnibus.

*Ad par. 3:* proponitur textus sequens a Rev.mo Secretario ad:

«Minister expositionis et benedictionis SS. Eucharistiae est sacerdos vel diaconus».

Placet omnibus.

Rev.mi quartus Consultor et Secretarius ad. proponunt sequentem novam paragraphum:

«Celebratione Missae durante ne habeatur SS. Sacramenti in eadem ecclesiae aula expositio».

Placet omnibus.

*Can. 1275*

Concordant omnes ut supprimatur canon iste.

## DISCEPTATIO DE OBLIGATIONE MISSAM PARTICIPANDI

Rev.mi secundus Consultor et Secretarius ad. ponunt quaestionem de novo canone, qui proponi potest, de obligatione Missam participandi.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum canonis, qui poni potest post canonem 18, antequam agitur de praecepto paschalis communionis:

*Can. 18 bis*

« Quilibet christifidelis obligatione tenetur celebrationem Eucharistiam participandi singulis diebus dominicis atque festis de praecepto ».

Rev.mus secundus Consultor movet quaestionem de praecepto in Missa vespertina diei sabbati et proponit sequentem textum in tribus paragaphis:

1) Diebus de praecepto christifideles qui iam ad annos discretionis pervenerunt Missae Sacrificio interesse ac participare debent.

2) Praeceptum hoc adimpleri potest in ipsa diei dominica vel festi sed etiam pridie sub vespere si loci Ordinarius id permittat.

3) Obligationi satisfaciunt qui Sacro intersint, quocumpue catholico ritu celebretur.

Exc.mus tertius Consultor declarat quod dies dominica incipit a Vesperis diei sabbati et proponit ut de hoc fiat declaratio generalis.

Rev.mus sextus Consultor respondet quod hoc fieri non potest, quia secus Breviarium diei dominicae dici potest in vesperis diei sabbati, quod est impossibile, quia obligatio Breviarii est pro die dominica.

Rev.mus secundus Consultor legit textum introductionis *Eucharisticum mysterium*, n. 28, ubi agitur de Missis diei dominicae et festi anticipatis ad vesperas diei antecedentis.

Rev.mus Secretarius ad. petit a Consultoribus sententias de quaestioni bus sequentibus:

1) utrum aliquod dicendum sit de praecepto quod adimpleri possit ad vesperas diei antecedentis necne.

Omnes Consultores, exceptis Rev.mis Consultoribus septimo et sexto, concordant ut in Codice dicatur de praecepto quod adimpleri possit ad vesperas diei antecedentis.

2) Utrum dicendum sit de praferentia diei dominicae in eodem adimplendo praecepto necne.

Contrarii sunt Rev.mi Consultores sextus et septimus; id non necessarium censem Exc.mus nonus Consultor et Rev.mi Consultores quintus, primus, octavus et secundus. Aestimat id affirmandum esse Exc.mus tertius et aliquo modo Rev.mus quartus Consultor.

3) Utrum dicendum sit quod facultas haec ab Ordinario concedenda sit necnon.

Consentient omnes de eo quod non requiritur ut facultas ab Ordinario concedatur.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum par. 2 canonis 18 bis:  
 « Praeceptum de quo in par. 1 adimpleri potest in die dominica vel festi  
 aut pridie inde ab hora vespertina convenienti ».

Placet omnibus.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut in par. 1 canonis 18 bis dicitur: « Sacrificium Eucharisticum » loco « celebrationem Eucharisticam ».

Placet omnibus.

Itaque textus canonis 18 bis ita erit:

§ 1. Quilibet christifidelis obligatione tenetur sacrificium Eucharisticum participandi singulis diebus dominicis atque festis de pracepto.

§ 2. Praeceptum de quo in par. 1 adimpleri potest in die dominica vel festi aut pridie inde ab hora vespertina convenienti.

#### DISCEPTATIO DE PROCESSIONIBUS

Rev.mus secundus Consultor, quamvis postea in cann. 1290-1295 sermo fit de processionibus, putat utile fore si hoc loco breviter aliquid dicatur de processionibus Eucharisticis, his vel similibus verbis:

§ 1. Valde decet ut sanctissimum Sacramentum processionaliter per vias circumferatur, sollemni ritu atque cum cantu, et praesertim in festo Corporis Christi, in publicum testimonium fidelium.

§ 2. Ordinarii loci est iudicare de opportunitate nec non de loco ac ordinatione huiusmodi processionum, ita ut cum debita dignitate et sine damno irreverentiae peragantur.

*Nota:* Textus desumitur fere ad litteram ex n. 59 Instructionis *Eucharisticum mysterium*.

Exc.mus tertius Consultor censet retinendam esse obbligationem ut unica processio fiat in civitatibus in festo Corporis Christi.

Rev.mus sextus Consultor declarat quod Codex agit de processionibus in cann. 1290 et seqq.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut in hoc loco agatur etiam de processionibus ad unificandam totam materiam de Eucharistia.

Ipse Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem:

*Can. 37*

§ 1. Ubi, de iudicio loci Ordinarii, fieri possit, convenit ut, in publicum erga sanctissimam Eucharistiam venerationis testimonium, sollemnis

habeatur, praesertim in festo Corporis Christi, processio, etiam per vias publicas procedens.

§ 2. In festo Corporis Christi processio unica habeatur in civitatibus, variis paroeciis eiusdem communis, eaque procedens ab ecclesia digniore, nisi aliter ferat immemorialis consuetudo aut aliud suadeant locorum adiuncta.

§ 3. Loci Ordinarii est non tantum de processionum opportunitate iudicare, sed etiam de iisdem statuere ordinationes, quibus earum dignitati prospiciatur.

*Ad par. 1:* Rev.mus primus Consultor proponit ut omittatur «id». Placet omnibus.

Par. 2a placet omnibus uti est.

*Ad par. 3:* Rev.mus quintus Consultor proponit ut fiat una paragraphus ex paragraphis 2 et 3.

Etiam Rev.mus quartus Consultor censem nimis esse ut norma fiat pro una processione.

Rev.mus Secretarius ad. petit suffragium utrum manere debeat etiam par. 3 necne.

Exc.mus tertius Consultor et Rev.mi Consultores octavus et secundus et Secretarius ad. consentiunt ut par. 3 maneat.

Rev.mi Consultores quintus, quartus, primus et septimus praferunt ut par. 3 supprimatur.

Exc.mus nonus et Rev.mus sextus Consultores se abstinent a sententia ferenda.

Rev.mus sextus Consultor affirmit praesidis esse dirimere quaestionem.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod, si decernere licet, ipse declarat ut norma retineatur.

Exc.mus tertius Consultor proponit ut par. 3 ponatur ante par. 2.

Placet omnibus.

Itaque textus a Rev.mo Secretarius ad. propositus remanet uti est cum suggestione Exc.mi tertii Consultoris et Rev.mi primi Consultoris.

#### DISCEPTATIO DE STIPENDIS MISSARUM

Rev.mus Secretarius ad. exponit varias sententias ex votis Consultorum desumptas.

Rev.mus Sextus Consultor facit sequentem animadversionem: «Stipen-

dia Missarum se evolverunt ex oblationibus, quas fideles afferebant in celebrazione Eucharistiae. Ille quae ad sacrificium Eucharisticum celebrandum non requirebantur, destinabantur aliis operibus piis (cultus, caritatis), ita ut decursu temporis reservatae sint ministris sacris, secundum monitionem S. Pauli: 'Qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere' (*1 Cor 9, 13-14*). Oblationes fidelium igitur constituebant contributum eorum ad Eucharistiam pro communitate, cum communitate celebrandam, necnon, tandem aliquando, subsidium clericis destinatum pro vitae sustentatione».

Rev.mus secundus Consultor scribit in voto sequentes animadversiones: «In redactione canonum sequentium vitatur vox 'stipendium' quia sensus eius primigenius non bene aptatur huic materiae. Pro voce 'stipendium' semper adhibetur in redactione proposita verbum 'eleemosyna'. Vitatur quoque verbum 'applicatio', quia nimis materiale et restrictivum, et pro eo adhibetur 'oblatio' quod videtur magis consonum traditioni».

Rev.mus quartus Consultor facit in voto sequentes animadversiones: «Haec consideratur in Prooemio c. I. 'De Missarum stipendiis'<sup>1</sup> lin. 30: 'Nonnullis optandum videri potest ut Ecclesia proventibus occasione huius praestantissimi Sacrificii receptis renuntiet'».

Certe non desunt fortia argumenta in favorem substantialis mutationis circa ipsam approbationem stipendiiorum ex parte Ecclesiae. Attamen, conclusio laudatae Commissionis fuit, aptis argumentis allatis: «non potuit nec hodie potest Ecclesia quin usum stipendiiorum Missarum servet».

Etiam in votis iam conscriptis a cl.mis membris nostrae Sub-Commissionis saepe asseritur sive explicite sive implicite impossibile esse pro nunc stipendia suppressimere; licet eorum disciplina convenienter optanda sit».

#### *Can. 824*

Rev.mus secundus Consultor ad par. 1 proponit sequentem textum:

«Secundum receptum et probatum Ecclesiae morem, sacerdoti cuilibet Missam celebranti aut concelebranti licet eleemosynam pro eiusdem oblatione secundum determinatam intentionem accipere».

Rev.mo quarto Consultori non placet textus nimis vacuus Rev.mi secundi Consultoris quia in Codice aliquo modo fundamentum dari debet huius disciplinae.

Respondet Rev.mus primus Consultor quod de hac re in Codice rationale fundamentum non possumus dare.

<sup>1</sup> Cf. «Relatio» Commissionis de Disciplina Cleri, Romae habita diebus 2-6 aprilis 1962.

E contra Rev.mus sextus Consultor refert monitionem S. Pauli: «Qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt, edunt...» (*1 Cor 9, 13-14*).

Exc.mus tertius Consultor proponit ut loco «secundum receptum et probatum Ecclesiae morem» (cf. textum Rev.mi secundi Consultoris) dicitur tantummodo «secundum probatum Ecclesiae morem».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut sermo fiat de obligationibus potiusquam de stipendiis.

Rev.mus quartus Consultor notat quod in normis de Missarum stipendiis ponitur semper sive verbum «oblatio», sive verbum «stipendium».

Rev.mus primus Consultor proponit formulam sequentem: «... stipem a fidelibus oblatam recipere» loco «licet eleemosynam pro eiusdem oblatione secundum determinatam intentionem accipere» (cf. textum Rev.mi secundi Consultoris).

Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit canonem sequenti modo emendatum:  
«Secundam probatum Ecclesiae morem sacerdoti cuilibet Missam celebranti et applicanti licet stipem a fidelibus oblatam recipere».

Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. petit utrum in Codice retinendus sit necne n. 1 de normis de Missarum stipendiis, scilicet: «curent Ordinarii ut fideles rite edoceantur... etc.».

Consultores respondent negative.

Ipse petit utrum retinendus sit n. 2 de iisdem normis necne.

Respondent affirmative, sed pro secunda parte tantum, scilicet: «... Enixe vero sacerdotibus commendatur...».

Rev.mus sextus Consultor declarat quod «etsi indoli magis communariae, quam celebratio eucharistiae in nova liturgia habet, stipendum missae 'abstractum' non congruit ex toto, tamen efferendum est etiam, quod celebratio et applicatio Missae, debita ex iustitia ratione stipendii dati, nihil continent, quod natura sua est improbandum. Hoc eo vel magis dicendum est, quod talis applicatio Missae ad bonum spirituale (vel etiam temporale, supposita debita intentione mentis petentis) impetrandum, etsi singulorum fidelium, opus habenda est, quod ad curam pastoralem Ecclesiae pro singulis fidelibus pertinet. Quod occasione huius celebrationis et applicationis Missae, sacerdos obtinet stipendum ad propriam sustentationem, ab Ecclesia iure admittitur, tamquam concretatio iam memoratae obligationis fidelium contribuendi ad hanc sustentationem».

Rev.mus secundus Consultor affirmit quod stipes Missarum indolem magis communitariam habere debet et admitti amplius non potest ut sacerdos obtineat stipendum solummodo ad propriam sustentationem.

Respondet Rev.mus sextus Consultor quod in Codice servari debent si-  
ve indeoles individualis sive indeoles communitaria stipendii Missarum.

Rev.mus primus Consultor notat quod fideles cum dant stipendia Mis-  
sarum intendunt bonum spirituale pro seipsis, pro aliis vel pro defunctis...

Idem Rev.mus secundus Consultor proponit ut de hac materia relin-  
quatur maxima libertas ecclesiis localibus.

Instat Rev.mus sextus Consultor ut, etsi in nova liturgia celebratio Eu-  
charistica habet indeolem magis communitariam, tamen stipendum Missae  
servet etiam propriam indeolem individualem.

Idem Rev.mus declarat, contra suggestionem Rev.mi secundi Consulto-  
ris, quod ordinatio stipendiorum Missarum relinqu non potest iuri parti-  
culari, quia hac in re principia dogmatica momentum magnum habent,  
necnon quia diversitas institutionum hac in re mutuum gravamen pro va-  
riis regionibus facile efficere potest.

Rev.mus Secretarius ad. declarat quod norma illa manere debet, vi  
cuius Missarum eleemosyna retineri potest a sacerdote cui christifidelis  
committit oblationem ut Missam celebret; potius sacerdos curare debet ut  
stipes sit pro eo qui illam Missam celebrat, attentis tamen quae sequuntur  
praescriptis.

Rev.mus quartus Consultor animadvertis stipendia Missarum imponi  
non posse ut veram taxam.

Declarat Rev.mus Secretarius ad. quod occasione huius oblationis peti  
potest oblatio pro dioecesi, sine obligatione.

Rev.mus primus Consultor petit ut statuatur clara norma de stipendiis  
in concelebratione.

Exc.mus nonus Consultor refert quod fideles in Lituania non amant  
concelebrationem et putant quod alii sacerdotes sunt tantummodo ut in-  
servientes.

*Ad par. 2:* Rev.mus secundus Consultor proponit sequentem textum:

« Sacerdotes qui pluries eodem die celebrant unam tantum eleemosy-  
nam ratione oblationis pro seipsis accipere possunt, excepto die Nativitatis  
Dominii ».

Rev.mus quartus Consultor declarat quod si sacerdos bis celebrat, de-  
bet gratis celebrare, et si recipit stipendum debet illud Episcopo transmit-  
tere.

Exc.mus nonus Consultor declarat quod in Lituania si sacerdos binat  
pro la Missa stipem recipere potest, pro 2a Missa dare debet stipendum  
Curiae. Si quis binat die feriali debet dare 1/3 pro necessitate paroeciali,  
2/3 pro Curia.

Rev.mus Secreatrius ad. petit utrum Consultores concordes sint de sequentibus normis necne:

- 1) Sacerdos qui bis vel ter celebrat, potest retinere stipem tantummodo pro una Missa.
- 2) Si bis vel ter celebrat, sacerdos potest ad intentionem libere electam celebrare aut ad intentionem alicuius dantis oblationem.
- 3) Ordinarii loci est statuere quomodo illud secundum stipendum adhiberi debeat.

Exc.mus tertius Consultor petit quid pro religiosis, qui in paroeciali ecclesia bis celebrant, cuinam Ordinario competit potestas.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod Ordinarii loci est determinare fines ad quos adhiberi debent stipes oblatae et receptae a sacerdotibus qui munus aliquod in Ecclesia ab aliquo Ordinario susceptum expletant.

Rev.mus quartus Consultor declarat quod inter Ordinarium et Religiosos conventio adesse debet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ponatur in textu canonis sequens formula:

«Salvis, quoad Missas a sodalibus Institutis perfectionis applicatas, conventionibus cum eorum superioribus initis, si religiosi aliquod munus expletant in Ecclesia».

Rev.mus primus Consultor concordat de libertate saltem intentionis in Missis binatis.

Exc.mus tertius Consultor declarat quod Episcopus potest obligare ut sacerdos celebret alteram Missam secundum propriam intentionem quia agitur de vera taxa.

Item sentiunt Rev.mi septimus et secundus Consultores.

Rev.mus Secretarius ad. censet Ordinarium suadere posse, non vero obligare ut quis bis celebret secundum propriam intentionem, et proponit sequentem formulam:

«Ordinarius potest permittere ut bis ad intentionem celebretur pro qua datur stips, ea conditione ut stips adhibeat ad fines ab Ordinario determinatos».

Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. petit utrum Ordinarius possit imponere necne ut celebretur et applicetur ad intentionem aliquam pro qua ipse Ordinarius stipendium recipiat.

Rev.mus quintus Consultor censet Episcopum hortari, non autem id imponere posse.

Rev.mus secundus Consultor e contra declarat quod Episcopus potest imponere, ut taxam, celebrationem Missae binatae.

Quaestio non est soluta.

Rev.mus Secretarius ad. iterum quaestionem ponit utrum Ordinarius imperare possit necne ut quis celebret bis pro sua intentione et stips tradatur secundae Missae.

Rev.mus Secundus Consultor declarat quod stipendum Missae non debet considerari tanquam ius sacerdotis, sed ut modus quo fideles subveniunt necessitati Ecclesiae; inde nulla difficultas si Ordinarius obliget sacerdotes celebrandi secundum propriam intentionem et tradendi stipendum; auferri debet idea quod agitur de iure personali.

Rev.mus quartus Consultor proponit sequentem distinctionem:

1) Si Sacerdos accipit stipem pro secunda Missa habetur condicio scilicet si accipit stipem Episcopus potest imponere ut tradat sibi; itaque sacerdos potest dicere secundam Missam ea vero condicione.

2) Si ipse sacerdos dicit: nolo accipere stipem, tum potestne Episcopus obligare ad accipendum stipendum quod sacerdos suum non facit?

Rev.mus sextus Consultor facit sequentem animadversionem: si quis habet officium pastorale, est cooperator Episcopi et si Episcopus aliunde providet eius sustentationi, potest imponere ut stipendia tradantur dioecesis, maxime si sacerdos est ordinatus titulo « servitio dioecesis ».

Rev.mus primus Consultor affirms quod plurimi fideles dant stipendum ut determinata Missa pro sua intentione celebretur, et nihil habent contra id quod stipendum alii tradatur; sacerdos est membrum communitatis (presbyterii) et ideo admitti potest ut pro utilitate Ecclesiae detur stipendum Episcopo.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum ut canonem introductivum:

« Christifideles stipem offerentes, etiamsi eam tradant cum onere ut Missa ad peculiarem intentionem celebretur, conferunt ad bonum Ecclesiae. Episcopus dioecesanus, cuius est curare ut necessitatibus suae Ecclesiae et presbyterorum suae dioecesis provideatur, potest ordinare modum quo intentionibus fidelium satisfiat, etiam statuendo ut sacerdotes, quibus stipes offertur, ex integro aut ex parte eam servent ».

Exc.mus tertius Consultor et Rev.mus sextus Consultor proponunt ut adiungantur verba « servata ideoque fidelium voluntate ».

Rev.mus quartus Consultor censet aliis mediis uti posse Episcopum, sed non stipendiis Missarum.

Rev.mus sextus Consultor declarat quod praemissa semper servanda, scilicet de se est permisum recipere stipendium in quantum Ecclesia potest conditiones statuere, et in tantum quantum Ecclesia hoc permittit.

Rev.mus Secretarius ad. animadvertisit sacerdotem celebrantem semper nomine Ecclesiae celebrare.

Concordant omnes ut tamquam hypothesis laboris adhibetur textus a Rev.mo Secretario ad. propositus.

*Can. 825*

*Ad par. 1:* Rev.mus Secretarius ad. proponit ut maneat et suggerit ut dicatur « Missam applicare ad aliquam intentionem pro qua stips iam petita est non pro oblatione quae praevideatur petitum iri ».

*Ad par. 2:* Potest manere secundum omnes.

Forsan melius dicere « titulo canonico » loco « alio titulo ».

*Ad par. 3:* Retineri potest secundum omnes, excepto Rev.mo secundo Consultore qui declarat quod in paroecia potest celebrari Missa pro diversis stipendiis, sed alia stipendia esse debent in beneficium paroeciae non sacerdotis celebrantis.

*Ad par. 4:* Concordant omnes ut tollatur, quia casus de quo agitur est scholasticus.

*Can. 826*

Concordant omnes ut canon ad ulteriorem disceptationem remittatur.

*Can. 827*

Concordant omnes ut norma maneat sed clarius enuntietur.

*Can. 828*

Norma placet, sed concordant omnes ut alio modo enuntietur.

Addenda est par. 2, vi cuius permittitur ut sacerdos pro variis intentionibus celebret, ita tamen ut fidelibus liberum sit pro eius applicatione aliquid offerre.

*Can. 829*

Concordant omnes ut maneat.

*Can. 830*

Placet omnibus uti est.

*Can. 831*

Rev.mus secundus Consultor proponit ut tollatur distinctio inter Missas fundatas, manuales et ad instar manualium, quia non videtur magni momenti neque eius iudicio est necessaria, et legit textum sequentem quem in voto ipse paravit:

«Par. 1: Nisi Episcoporum conferentia rem sibi reservaverit, Ordinarii loci est, auditio consilio presbyterai, eleemosynam pro sacrificii Missae oblatione decreto definiri, cui decreto etiam religiosi sacerdotes teneantur».

Rev. mus quartus Consultor praefert textum sequentem ex relatione Commissionis «*De Missarum stipendiis*» Romae habita diebus 2-6 aprilis 1962, desumptum:

«IV. 1) Ordinarii loci est manualem Missarum stipem in sua diocesi definire, qui tamen curare debet ut, quantum id sinant locorum personarumque adiuncta, illa definiatur secundum rationem cum aliis provinciae ecclesiasticae aut eiusdem nationis Episcopis compositam».

Concordant omnes de hoc textu, debito modo emendato. Exempli gratia, nunc in textu dici potest de conferentiis Episcopalibus.

*Ad par. 2:* Concordant omnes ut retineatur, quia convenit cum n. 3 supradictae relationis.

*Ad par. 3:* Rev.mus secundus Consultor proponit ut ponatur in par. 1.

Rev.mus quartus Consultor aestimat specialem requiri paragraphum.

*Can. 832*

Rev.mus secundus Consultor proponit sequentem textum simpliciore modo redactum:

«Sacerdoti fas est eleemosynam ultro maiorem sponte oblatam accipere, et etiam minorem».

Rev.mus quartus Consultor proponit textum sequenti modo emendatum: «Sacerdoti fas est oblatam ultro maiorem stipem pro Missae applicatione accipere atque etiam minorem».

Placet omnibus.

*Can. 833*

Rev.mus sextus Consultor notat quod res de se pertinet ad contractum.  
Concordant omnes ut canon omittatur.

*Can. 834*

*Ad par. 1:* Consentient onnes ut remaneat.

*Ad par. 2, n. 1:* Placet omnibus uti est.

*Ad par. 2, n. 2:* Rev.mus primus Consultor proponit formulam sequentem in ultima parte: « ...intra congruum tempus firmo praescripto... ».  
Placet omnibus.

*Ad par. 3:* Consentient omnes ut omittatur.

*Can. 835*

Hic canon remanere potest pro omnibus, excepto Rev.mo secondo Consultore.

Rev.mus primus Consultor proponit ut addatur novum comma sequenti modo: « quod si nova onera eidem supervenerint, transmittat quamprimum superflua ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « quae supersunt » loco « superflua ».

Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur « quae excedunt » loco « superflua ».

*Can. 836*

Concordant omnes ut textus maneat, hoc sensu: nisi oblator expresse petat... possunt transmitti. De facto non ponitur tabella: id omitti potest.

*Can. 837*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut canon maneat debito modo emendatus.

Rev.mus primus Consultor proponit ut canon deleatur.

Exc.mus tertius Consultor praefert textum relationis *De Missarum stipendiis*, pag. 6, n. VII.

*Can. 838*

Rev.mus primus Consultor proponit ut canon maneat uti sonat.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut addatur in canone quod Episcopus rogare potest ut Missae sacerdotibus extra dioecesanis bene acceptis..., aut « aliis sacerdotibus de quibus constat... ».

Placet propositio.

*Can. 839*

Consentiant omnes ut maneat textus canonis.

*Can. 840*

*Ad par. 1:* Rev.mus Secretarius ad. proponit ut supprimatur prima exceptio.

Propositio placet omnibus.

*Ad par. 2:* Omnes consentiant ut omittatur.

*Can. 841*

*Ad par. 1:* Consentiant omnes ut par. maneat, sed debito modo emenda data.

*Ad par. 2:* Concordant omnes ut supprimatur.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut ad par. 1 adiungatur ultima pars par. 2: « ...post annum a die... ».

Placet omnibus propositio.

Rev.mus quintus Consultor suggerit ut dicatur « intra annum » loco « post annum ».

Placet omnibus.

*Can. 842*

Placet omnibus uti est.

*Can. 843*

Rev.mus secundus Consultor proponit sequentem textum pro canonibus 843 et 844 in unum contractis:

« Omnes qui eleemosynas accipiunt pro Missis offerendis, sive ab ipsis sive ab aliis, in peculiari libro adnotare debent Missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosynam et celebrationem aut earundem transmissionem ».

Propositio non placet.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut canon maneat uti est.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut canon transferatur sub titulo de bonis temporalibus. Par. 1 canonis remaneat; item par. 2, omissis verbis «saltem... pastorale».

*Can. 844*

Placet omnibus ut canon maneat quoad substantiam.

Rev.mus secundus Consultor ponit quaestiones de reductione onerum missarum sequenti modo:

«§ 1: Fundationes cum onere Missas celebrandi adhuc extantes, secundum rerum adjuncta, ab Ordinario loci post triginta annos a fundatione extingui possunt ita ut pro residuo dotis fundationis tot offerantur Missae quot supputentur secundum eleemosynam dioecesis vigentem».

§ 2: Etiam ante annos triginta onera Missarum piarum fundationum reduci possunt ab Ordinario loci si reditus ita imminuti sint ut numero originario Missarum celebrandarum non iam sufficient, si vero reditus ex toto perierint, Ordinarius potest onera extinguere».

Rev.mus sextus Consultor censet illos canones transferendos esse ad titulum: de bonis temporalibus.

Ita explicit materia in hac sessione tractanda. Determinatur materia in proxima sessione huius coetus tractanda scilicet: recognitio canonum de custodia SS.mae Eucharistiae et de stipendiis Missarum, de quibus iam admissa sunt principia, et deinde recognitio legislationis de poenitentia.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut rogetur S. Congregatio pro Doctrina Fidei sententia de absolutione generali.

## APPENDIX I

## SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT

## «DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA»

(de quo in CIC cc. 801-869)

*Can. Generalis (CIC 731, § 2)*

§ 1. Salvis huius canonis §§ 2, 3 et 4, ministri catholici sacramenta licite administrant solis christifidelibus catholicis, atque iidem christifideles eadem a solis ministris catholicis licite recipiunt.

§ 2. Quoties necessitas id postalet aut vera spiritualis utilitas id suadeat, licet christifidelibus catholicis quibus physice aut moraliter impossibile est accedere ad ministrum catholicum, sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum recipere a ministris non catholicis, in quorum Ecclesia valida habentur praedicta sacramenta.

§ 3. Ministri catholici licite sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum administrant christifidelibus orientalibus plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui sponte id petant et rite sint dispositi.

§ 4. Si adsit periculum mortis aut urgeat necessitas, persecutionis aut in carcere inclusionis ratione, aliave, de iudicio Episcoporum conferentiae aut loci Ordinarii, gravis necessitas, ministri catholici licite eadem sacramenta administrant ceteris quoque christianis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui ad propriae communionis ministrum accedere non valent atque sponte id petant, dammodo tamen fidem quoad eadem sacramenta consentaneam fidei Ecclesiae catholicae manifestent et rite sint dispositi (cf. Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 27; *Directorium de re oecumenica*, nn. 42-47, 55).

#### DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

*Can. 1* (CIC 801)

Eucharistica celebratio, in qua ipsem Christus Dominus offertur et sumitur, est ipsius Ecclesiae actio, cui in persona Christi praesidet sacerdos, minister huius sacramenti proprius, et ad quam ceteri qui intersunt christifideles, sive clerici sive laici, suo quiske modo pro ordinum et liturgicorum munerum diversitate participando, concurrunt.

#### Caput I

##### DE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE MINISTRO

*Can. 2* (CIC 802)

§ 1. Minister aptus qui in persona Christi Sacrificium eucharisticum conficiens celebrationi Eucharistiae praesideat, est solus sacerdos valide ordinatus.

§ 2. Licite Eucharistiam celebrat sacerdos poena canonica non impeditus, servatis praescriptis canonum qui sequuntur.

*Can. 3 (CIC 803)*

§ 1. Nisi utilitas christifidelium aliud requirat aut suadeat, licet sacerdotibus Eucharistiam concelebrare.

§ 2. Integrum est sacerdotibus ut singuli Eucharistiam celebrent, non vero eo tempore quo in eadem ecclesia concelebratio habetur.

*Can. 4 (CIC 804)*

§ 1. Sacerdos ad celebrandum admittatur etiamsi rectori ecclesiae sit ignotus, dummodo aut litteras commendatitias sui Ordinarii exhibeat, aut alio modo ipsi rectori de eius probitate satis constet.

§ 2. Integrum est Ordinario loci hac de re normas magis determinatas edere, ab omnibus sacerdotibus servandas, etiam a sodalibus Instituti exempti, nisi agatur de iisdem admittiendis ad celebrandum in ecclesiis proprii Instituti.

*Can. 5 (CIC 805)*

Omnes sacerdotes Sacrificium eucharisticum frequenter celebrent, in specie si christifidelium bonum id suadeat; enixe ipsis commendatur ut Sacrificium eucharisticum, quod quidem semper est actus Christi et Ecclesiae quo munus suum sacerdotale praecipuum adimplent, cotidie celebrent (cf. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 13).

*Can. 6 (CIC 806)*

§ 1. Exceptis diebus quibus ad normam legum liturgiarum licitum sit pluries eodem die Eucharistiam celebrare aut concelebrare, non licet sacerdoti plus semel in die celebrare, nisi ipso iure aut apostolico indulto id permittatur.

§ 2. Si sacerdotum penuria habetur, sacerdotes, iusta causa id suadente, licite bis in die, immo, vera necessitate pastorali id postulante, etiam ter in diebus dominicis et festis de pracepto, celebrant.

*Can. 7 (CIC 813)*

Sacerdos, extra casum necessitatis, Eucharistiam ne celebret sine ministro.

*Can. 8 (novus)*

Sacerdotibus catholicis non licet una cum ministris Ecclesiarum comunitatumve ecclesialium plenam communione cum Ecclesia catholica non habentium Eucharistiam concelebrare.

*Can. 9 (CIC 809)*

Integrum est sacerdoti Missam applicare pro quibusvis, tum vivis tum defunctis.

*Can. 10 (CIC 845)*

§ 1. Minister ordinarius sacrae communionis est sacerdos et diaconus.

§ 2. Extraordinarius sacrae communionis minister est alius christifidelis, si ve clericus sive etiam laicus, in casibus in quibus necessitas pastoralis id requirat, servatis loci Ordinarii praescriptis.

*Can. 11 (CIC 848-850)*

§ 1. Salvis canonibus 397, 3º et 514, §§ 1-3, parocho loci officium est et ius sanctissimam Eucharistiam per modum Viatici ad infirmos in sua paroecia deferendi.

§ 2. In casu necessitatis id facere possunt ceteri sacerdotes, iisque deficitibus alii sacrae communionis ministri, de licentia saltem praesumpta parochi.

*Can. 12 (CIC 852)*

Hic canon translatus est post can. 24.

Caput II  
DE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE SUBIECTO

*Can. 13 (novus)*

Christifideles maximo in honore sanctissimam Eucharistiam habeant, atque animarum pastores eos edoceant obligationem qua tenentur ut sum-

ma cum veneratione augustissimo huic sacramento debita Eucharistiam semper celebrent, recipient atque colant, utque hac etiam mente ducti ea quae sequuntur praescripta sedulo observent.

*Can. 13 bis (CIC 853)*

Quilibet baptizatus qui iure non prohibetur, admitti potest et debet ad sacram communionem.

*Can. 14 (CIC 854)*

§ 1. sanctissima Eucharistia ne ministretur pueris qui sufficientem huius sacramenti cognitionem non habent.

§ 2. Ut sanctissima Eucharistia ministrari possit pueris in periculo mortis versantibus, sufficit ut Corpus Christi a communi cibo discernant atque reverenter suscipere possint.

§ 3. Ut sanctissima Eucharistia ministrari possit pueris extra periculum mortis, requiritur ut pleniore cognitione atque accuratiore praeparatione gaudeant, ita ut fidei mysteria ad salutem necessaria pro suo captu percipient atque ad hoc sacramentum devote pro sua aetatis condicione accedere valeant; parentum imprimis atque eorum qui eorundem locum tenent est curare ut pueri ita debite ad sanctissimam Eucharistiam recipiendam praeparentur.

§ 4. Parocho est officium advigilandi ne pueri ad sacram Synaxim accendant, si rationis usum adepti non sint aut sufficienter non sint dispositi; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur.

*Can. 15 (CIC 855)*

Ad sanctissimae Eucharistiae celebrationem aut communionem ne admittantur qui graviter deliquerunt et in contumacia perseverant.

*Can. 16 (CIC 856)*

Qui conscius sibi est peccati gravis ne celebret neve Corpori Domini communicet priusquam ad sacramentum poenitentiae accesserit, nisi adsit gravis ratio et deficiat opportunitas confitendi; quo in casu meminerit se obligatione teneri actus perfectae contritionis prius eliciendi.

*Can. 17 (CIC 857)*

Qui sanctissimam Eucharistiam receperit, non potest eam iterum eadem die suscipere extra Eucharisticam celebrationem, nec in ipsa, nisi particeps sit celebrationis Eucharisticae cum quadam sollemnitate peractae.

*Can. 18 (CIC 858)*

§ 1. Sanctissimam Eucharistiam recepturus per spatum unius horae ante sacram communionem abstineat a quocumque cibo et potu, excepta tantummodo aqua naturali.

§ 2. Sacerdos, qui eadem die bis aut ter sanctissimam Eucharistiam celebrat, aliquid sumere potest ante alteram vel tertiam celebrationem, etiam si non intercedat spatum unius horae.

§ 3. Qui infirmitate quadam laborat sanctissimam Eucharistiam recipere potest, etiam si intra horam antecedentem aliquid sumpserit.

*Can. 18 bis (novus)*

§ 1. Quilibet christifidelis obligatione tenetur Sacrificium eucharisticum participandi singulis diebus dominicis atque festis de pracepto.

§ 2. Praeceptum de quo in § 1 adimpleri potest in die dominica vel festi aut pridie inde ab hora vespertina convenienti.

*Can. 19 (CIC 859)*

§ 1. Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, id est ad rationis usum, pervenerit, obligatione tenetur semel saltem in anno, et quidem tempore paschali, sanctissimae Eucharistiae sacramentum recipere.

§ 2. Paschalis communio fiat a dominica in Palmis, usque ad festum Pentecostes; locorum Ordinariis autem fas est, si id personarum ac locorum adjuncta suadeant, hoc tempus etiam pro omnibus suis christifidelibus anticipare aut prorogare.

§ 3. Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis ex causa, non adimpleverit.

*Can. 20 (CIC 863)*

Animarum pastores christifideles suae curae commissos edoceant ex frequenti, immo vel cotidiana, eucharisticae celebrationis participatione et

Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri vitaeque spiritualis incrementum maxime foveri, eosque ad hunc usum salutarem cohortentur (cf. Instructio *Eucharisticum mysterium*, n. 37).

*Can. 21 (CIC 864)*

§ 1. Christifideles qui in periculo mortis versantur, quavis ex causa procedat, sacrae communionis recipienda preecepto tenentur.

§ 2. Etiamsi eadem die sacra communione refecti fuerint, valde tamen suadetur ut qui in vitae discrimen adducti sint denuo communicent.

§ 3. Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum pluries, distinctis diebus, administrare licet et convenit.

*Can. 22 (CIC 865)*

Sanctum Viaticum infirmis ne nimium differatur; et qui animarum curam gerunt sedulo advigilent ut eodem infirmi plene sui compotes reficiantur.

*Can. 23 (CIC 866)*

Christifideles sanctissimae Eucharistiae sacramentum in quolibet ritu suscipere possunt.

Caput III

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS EUCHARISTICAES CELEBRATIONIS

*Can. 24 (CIC 814-815)*

§ 1. Sacrosanctum Eucharisticum sacrificium confici debet ex pane et vino, cui modissima aqua miscenda est.

§ 2. Panis debet esse mere triticeus et recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis.

§ 3. Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum.

*Can. 12 (CIC 852)*

§ 1. Sanctissimae Eucharistiae sacramentum conferatur sub sola specie panis aut sub utraque specie, ad normam legum liturgicarum.

§ 2. In casu necessitatis, licet sanctissimae Eucharistiae sacramentum sub sola specie vini ministrare.

*Can. 25 (CIC 816)*

§ 1. In eucharistica celebratione sacerdos, secundum proprium ritum, adhibeat panem azymum aut fermentatum, ubicumque litet.

§ 2. In concelebratione eucharistici Sacrificii, sacerdotes ritum sequantur proprium sacerdoti celebranti principali.

*Can. 26 (CIC 851)*

§ 1. Quilibet minister sacram communionem distribuat pane azymo aut fermentato, secundum proprium ritum.

§ 2. Ubi vero necessitas urgeat nec minister diversi ritus praesto sit, licet ministro orientali qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servare debet.<sup>1</sup>

*Can. 27 (CIC 817)*

Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque extra eucharisticam celebrationem, consecrare.

*Can. 28 (CIC 818)*

§ 1. Supremae Ecclesiae auctoritatis atque ad normam iuris Episcoporum conferentiarum et Episcoporum tantummodo cum sit sacram moderari liturgiam, nemini licet quidpiam proprio marte in ritualibus precibus et caeremoniis addere, demere aut mutare (cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 22).

§ 2. Inter probatas celebrationis Eucharistiae formulas liturgicas, eam sacerdos in singulis casibus eligat quae fidelium utilitati eorumque participationi magis consulat.

*Can. 29 (CIC 819)*

Eucharistica celebratio peragatur linguis liturgicis iure probatis.

*Can. 30 (CIC 811)*

Sacerdos in Eucharistia celebranda vestem deferat convenientem nec non sacra ornamenta a rubricis sui ritus praescripta.

<sup>1</sup> Consultores omnes concordant ut proponatur petitio ad S. Congregationem pro Doctrina Fidei quoad canones 25 et 26.

*Can. 31 (novus)*

§ 1. Sacerdos infirmus aut aetate provectus, si stare nequeat, Sacrificium eucharisticum celebrare potest sedens, servatis quidem legibus liturgicis, non tamen coram populo, nisi de licentia Ordinarii.

§ 2. Sacerdos cæcus aliave infirmitate laborans licite eucharisticum Sacrificium celebrat, adhibendo textum cuiuslibet ex probatis Missae, adstante, si casus ferat, alio sacerdote vel diacono aut etiam laico rite instructo, qui eumdem adiuvet.

*Can. 32 (novus)*

Si extra celebrationem eucharisticam distribuatur communio, serventur ritus praescripti, praemissa quoque, si res ferat, brevi verbi Dei celebrationē.

## Caput IV

## DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS EUCHARISTICAE

*Can. 33 (CIC 820, 847)*

Eucharistiae celebratio et distributio fieri potest quocumque die et hora, iis quidem exceptis quae secundum liturgicas normas excluduntur; commendatur christifidelibus ut Corpus Domini sumant in ipsa eucharistica celebrationē participanda.

*Can. 34 (CIC 822)*

§ 1. Eucharisticum Sacrificium celebrandam est in loco sacro, super altare consecratum aut benedictum.

§ 2. Loci Ordinarius, aut si agatur de domo Instituti perfectionis exempti Superior maior, concedera potest, iusta de causa, ut sacerdotes, etiam habitualiter, Eucharistiam celebrent, extra locum sacrum, in loco tamen decenti et decoro, non autem, nisi adsit vera necessitas, in cubiculo, atque adhibitis semper tobalea et corporali.

§ 3. Sacerdotes in navi etiam aerea itinerantes celebrare possunt, dummodo debitae adhibeantur cautelae.

*Can. 35 (CIC 869)*

§ 1. Sacra communio ministrari potest ubicumque Sacrificium eucharisticum celebrari licet.

§ 2. Si sanctissima Eucharistia ad infirmos deferatur, etiam eisdem adstantibus ministrari potest.

*Can. 36 (CIC 823)*

§ 1. Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio in altari alterius ritus catholici Eucharistiam celebrare.

§ 2. Iusta de causa, licet sacerdoti Eucharistiam celebrare in templo aliquius Ecclesiae orientalis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentis.

§ 3. Ut sacerdos Eucharistiam celebrare possit in templis aliarum Ecclesiarum communitatumve ecclesialium cum Ecclesia catholica plenam communionem non habentium, licentia eget loci Ordinarii.

*Can. 37 (CIC 1291)*

§ 1. Ubi de iudicio loci Ordinarii fieri possit, convenit ut, in publicum erga sanctissimam Eucharistiam venerationis testimonium; sollemnis habeatur, praesertim in festo Corporis Christi, processio, etiam per vias publicas procedens.

§ 2. In festo Corporis Christi processio unica habeatur in civitatibus, variis paroeciis eiusdem communis, eaque procedens ab ecclesia digniore, nisi aliter ferat immemorialis consuetudo aut aliud suadeant locorum adjuncta.

§ 3. Loci Ordinarii est non tantum de processionum opportunitate iudicare, sed etiam de iisdem statuere ordinationes, quibus earum dignitati prospiciatur.

## APPENDIX II

### SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT «DE CUSTODIA ET CULTU SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE» (de quo in CIC cann. 1265-1275)

#### DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA ASSERVANDA ET VENERANDA

*Can. 1265*

§ 1. Sanctissima Eucharistia, dummodo adsit qui eius curam habeat et pro posse sacerdos saltem bis in mense Missam in sacro loco celebret:

1º asservari debet in ecclesia cathedrali aut eidem aequiparata, in qualibet ecclesia paroeciali et in ecclesia adnexa domui religiosorum sive virorum sive mulierum;

2º asservari potest, de licentia Ordinarii loci, in aliis ecclesiis et in oratoriis publicis et semipublicis;

3º asservari potest, in oratorio domestico Episcopi etiam titularis tantum, non autem habitualiter in oratoriis privatis, nisi ex indulto apostolico.

§ 2. Nemini licet sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre.

*Can. 1266.*

Omnes ecclesiae et oratoria publica ubi sanctissimam Eucharistiam asservatur per aliquot saltem horas pateant, ut coram sanctissimo Sacramento fideles orationi vacare valeant.

*Can. 1267*

In religiosa vel pia domo quae adnexam habeat ecclesiam vel oratorium publicum, in eadem tantummodo asservetur sanctissima Eucharistia; potest tamen, iusta de causa, Ordinarius permittere ut alio etiam in oratorio eiusdem domus asservetur.

*Can. 1268*

§ 1. Sanctissima Eucharistia continuo seu habitualiter asservari nequit, nisi in uno tantum Ecclesiae vel oratorii tabernaculo.

§ 2. Locus ecclesiae vel oratorii in quo sanctissima Eucharistia asservatur, sit vere praecellens, prae omnibus ornatus atque ad orationem aptus.

§ 3. Tabernaculum in quo sanctissima Eucharistia asservatur sit inamovibile et solide clausum, ita ut quam maxime periculum profanationis arceatur.

§ 4. (nova) Tabernaculum in quo sanctissima Eucharistia asservatur sit in aliquo altari aut extra altare in parte ecclesiae pernibili et conspicua.

*Canon novus (ex § 3 can. 1269)*

Gravi aliqua de causa licet, sanctissimam Eucharistiam, nocturno praesertim tempore, alio in loco tutiore et decoro, super corporali tamen, asservare.

*Can. 1269* (ex par. 4 ipsius canonis)

Qui Ecclesiae vel oratori curam habet prospiciat ut clavis tabernaculi, in quo sanctissima Eucharistia asservatur, diligentissime custodiatur.

*Can. 1270*

Habeantur semper in tabernaculo, et quidem in pyxide ex solida decoraque materia coperculo clausa, hostiae consecratae numero necessitatibus christifidelium congruo.

*Can. 1271*

In signum honoris erga sanctissimam Eucharistiam coram tabernaculo in quo sanctissima Eucharistia asservatur, peculiaris perenniter ardeat lampas, qua indicatur Christi praesentia.

*Can. 1272*

Hostiae consecratae recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis.

*Can. 1273*

Hic canon supprimitur.

*Can. 1274*

§ 1. In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam, fieri possunt breves expositiones sive cum pyxide sive cum ostensorio, servatis praescriptis legum liturgiarum; curet loci Ordinarius ut huiusmodi expositiones sanctissimi Sacramenti debita cum reverentia fiant.

§ 2. Quotannis fieri potest sollemnitas sanctissimi Sacramenti expositio per congruum tempus protracta, etsi non stricte continua, ut communitas localis hoc mysterium impensius meditetur et adoret.

§ 3. Minister expositionis et benedictionis eucharisticae est sacerdos vel diaconus.

§ 4. (nova) Celebration Missae durante ne habeatur sanctissimi Sacramenti in eadem ecclesiae aula expositio.

*Can. 1275*

Hic canon supprimitur.